



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispv. CXI. An processiones diuinæ sint operationes intellectus &
voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Trinitate, & fide Catholica.

Tertio scripserunt contra hunc errorem, præter Patres citatos præcedenti disputatione peculiariter tractantes de Spiritu sancto, Dionysius Alexand. duos libros, quos fecit Latinos Hieron. & sunt inter eius opera, Basilii aduersus Eunomium librum vnum, Ambrosii de Spiritu sancto ad Gratianum libros tres.

Ex quibus sequitur, Spiritum sanctum non posse esse animam mundi, alioqui creatura esset. Si enim est Deus, ergo est cælo, & toto vniuerso excelsior: nec eo definiti potest Iob. 22. Nonne cogitas, quod Deus excelsior cælo sit, & super stellarum verticem sublimatur? & 2. Paralip. 2. Cælum & cæli cælorum capere non possunt, ac si esset anima mundi toto ipso cælo & vniuerso, vt proprio corpore definitur, & caperetur, quod est contra scripturam allegatam, & contra id, quod supra disputat. 29. ex professo probatum est.

CAPVT III.

Argumenta Macedonianorum diluuntur.

Primum argumentum Macedonianorum erat: nusquam in scriptura Spiritus sanctus Deus appellatur, ergo non est dicendus Deus. Hoc sapientius repetebant, vt refert Nazianz. oratione 5. de Theologia, quæ ordine est 37. Respondetur, id esse manifestè falsum, vt ex supra citatis testimoniis liquet.

Secundo obiebant illud Ioan. 1. Omnia per ipsum (hoc est per verbum) facta sunt. Ergo etiam Spiritus sanctus, factus est. Respondet Nazianz. oratione citata, non omnia facta esse per verbum, sed quæcumque sunt facta: Spiritum autem sanctum esse extra ordinem eorum rerum, quæ factæ sunt: nam alioquin, & Pater etiam factus esset per verbum.

Tertio afferunt illud Amos 4. iuxta lectionem 70. Ego Dominus sum, am tonitruum, & creans Spiritum, ergo Spiritus creatus est à Domino. Respondeo cum Nazianz. ibidem Athanas. in Epistola ad Serapionem, & Basilio lib. 3. contra Eunomium, Spiritum eo loco significare ventum.

Quarto ad Rom. 8. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Si autem esset Deus, non posset postulare. August. in Epistola 12. & lib. 1. contra Maximinum, Arrian. & Nazianz. oratione 36. num. 54. & 56. intelligentes hunc locum de Spiritu sancto, tertia videlicet in Trinitate persona, explicant hoc modo: postulat, hoc est, postulare facit, quia adiunxit infirmitatem nostram, vt postulemus. Eadem ratione putant, ad Galat. 4. dicit, Misi Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater. Perinde enim est, atque illud eiusdem cap. ad Rom. 8. Accepisti Spiritum filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Nam quia clamare nos facit, in eo, hoc est, eius virtute roborati dicimus clamare, & ipse dicitur clamans, Abba Pater. Facilis meo iudicio intelligunt recentiores de fundis ille enim dicitur pro nobis postulare, quia quod ex nobis nescimus, instructi Spiritu gratiæ rectè postulamur. Atqui si expendamus verbum re, & reuera postulare, ibi non significat facit postulare, sed orare, & exposcere, qui enim in-

CAP. I.

21

tercedit, ipse etiam postulat, & exorat.

Demum, quod Spiritus sanctus dicatur, non esse ipso loqui, aut dicatur à Filio mitti, & ab eo accipere, aut esse tertia in Trinitate persona, non probat esse creaturam; hæc enim omnia de Spiritu sancto dicuntur ratione originis, quia à Patre, & Filio procedit, vt suis locis dicemus. Et hæc satis sunt ad probandum in Deo esse processiones personarum in eadem natura, omnes enim Patres, & concilia non aliter concedunt tres personas eiusdem naturæ, quam productione secundæ à primâ, & tertiæ ab utraque: id quod ex Scriptura colligitur. Nam nomen Filij, & Spiritus sancti processionem ab alio denotat. Cæterum de qualitate, & modo harum processionum plura in cursu disputationis dicenda sunt: nunc satis sit cum S. Thom. in genere defuisse, in Deo esse processiones, nec plures quam duas, quia cura non sunt nisi tres personæ, vlla illarum necessario debet esse ingenerata, scilicet Pater, vt disputat. 140. videbimus. Iam vero, quæ circa quæstionem B. Thom. disputanda supersunt, aggrediamur.

DISPUTATIO CXI.

An processionis diuinæ sint operationes intellectus, & voluntatis.

Opinio Durandi, cap. 1.

Processiones diuinæ esse actus intellectus, & voluntatis. Schola Theologorum communiter tradit, cap. 2.

CAPVT I.

Opinio Durandi.

Præsens controuersia tractari solet circa Doctrinam artic. S. Thom. vbi differit de numero processionum; ex numero enim operationum immanentium n. merus etiam processionum colligitur quare, vt sciamus quot sint processionem, prius videndum est, an sint operationes intellectus & voluntatis, & quales illæ sint. Sed antea quam Scholasticorum sententias referamus, vindicare oportet Ricardum de sancto Victore à falsa quadam opinione, quæ illi à recentioribus imputatur. Dicunt enim illum in ea fuisse sententia, vt assereret, vtramque processionem diuinam esse per voluntatem, cum tamen reuera 3. de Trinitate, cap. 2. vsque ad 10. vbi de hac re disputat, solum prober ex amoris perfectione, res debere esse personas; quia alioqui perfectus amor non esset: quia etiam ratione ad idem probandum vtuntur Alexand. 1. p. q. 43. in 5. & 45. in 7. Bonauentura in primum distinct. 2. quæst. 4. & Maior in primum quæst. 6. art. 1. conc. 3. cum tamen plane asserant, alteram processionem esse per intellectum, alteram per voluntatem. In quæstione igitur proposita fuit sententia Durand. in primum distinct. 6. quæst. 2. Filium propriè non procedere in diuinis per intellectum, nec Spiritum per voluntatem, sed proximè vtrumque ex natura ipsa diuina secundum rationem filij processionem tribui intellectui, & Spiritus sancti processionem voluntati. Nam cum prior processio in humanis sit per intellectum, posterior per voluntatem; similitudine quadam processio filij

Soluitur
ultima
obiectio.

S. Thom.

vindicatur
Ricard. à
calumniis
recentiorum
super pro-
cessionibus
diuinis.Alexand.
Bonauent.
Maior.
Processio-
nes diuinæ
per appro-
priationem
dici intelle-
ctus & vo-
luntatis
sensit.
Durand.

22

2.
Prima ratio Durand.
in diuinis, quæ prior est, dicitur per intellectum, altera vero, quæ est posterior, dicitur per voluntatem. Id autem probat primum, quia intelligere, & velle sunt actus essentialiter communes omnibus personis, nec suapte natura inter se diuerfi: processiones autem non sunt essentialiter, nec communes, & inter se realiter distinguuntur: ergo processiones non sunt actus intellectus, & voluntatis.

Secunda ratio.

Durand. ille contra S. Thom.

Deinde, non minus conuenit fecunditas Deo, quam creaturis: creaturæ autem sunt fecundæ proximè per suam naturam secluso intellectu; ergo & Deus ipse: quinimmo ita alijs naturis conuenit, producere filium ut nequaquam illis conueniat per intellectum; ergo Deus fecundus etiam erit, non per intellectum formaliter, sed per naturam & essentiam, ut essentia est. Hanc infert ipse in primum distinctio. 10. quæst. 2. nu. 5. non rectè colligi ex numero operationum immanentium intellectus scilicet, & voluntatis numerum processionum, sicut contendit B. Thom. deducere in art. 5. supposita tamen numero personarum, rectè probari, non esse plures quam duas processiones; quia una earum necessario debet esse ingenerata: hoc est, à nullo procedens. Durandi sententiam secutus fuit Hieron. Zanchius Hæreticus in libro, quem aliquot ante annos Heydelbergæ de Trinitate cõscripsit, 1. par. opusculi lib. 5. cap. vlt. affirmans temerariam esse illam Theologorum doctrinam, *Filius procedit per intellectum.*

3.
Ariminensis falsi imponitur sententia Durand.

Hanc etiam Durandi opinionem tribuunt aliqui recentiores Greg. Arimi. in primum d. 7. q. 5. art. 2. & d. 10. quæst. 1. & dist. 13. quæst. 1. immerito tamen: his enim in locis solum disputat de principio quo generationis, & probat nullum esse principium quo, præter personam producentem, quam appellat principium quod; quia putat nec ratione in Deo distingui principium quo, ut disputatio- ne 136. videbimus; at ille non negat, processio- nem verbi esse formaliter intellectiõnem, & spiri- rationem Spiritus esse actum volendi. Ergo om- missa opinione Gregorij, de qua infra susus dis- ferendum est, sententiam Durandi sequenti ca- pite refutemus.

CAPVT II.

Processiones diuinas esse actus intellectus, & voluntatis, Schola Theologorum communiter tradit.

Communis Scholasticorum sententia. S. Thomas. Caietan. Recentior. Canar. Alexand. Bonauent.

Henricus.

Ricard. Maior. Gabriel. Eam tra- dunt Patr.

Contra Durandum merito Scholastici omnes conspirant, & pro viribus cõhantur defendere, processiones diuinas esse operationes intellectus, & voluntatis. Ita docuerunt S. Thom. Caietan. & Recentiores Thomistæ in art. 3. & 5. Canariæ. disputat. vnica in eundem articulum quintum Alexand. de verbi processione 1. par. quæst. 42. m. 2. de processione Spiritus sancti, quæst. 43. m. 3. art. 1. Bonauent. de verbi processio- ne in primum distinctio. 27. quæst. 1. de processione Spiritus distinctio. 10. per plures quæstiones de v- traque processione eodem modo loquuntur Hen- ricus, quodlibet. 6. quæst. 1. Scotus quodlibet. 2. art. 2. in primum distinctio. 2. p. 1. quæst. 4. quæ est in ordine 7. & distinctio. 27. quæst. 1. & 2. Ricard. in pri- mum distinctio. 1. quæst. 1. Marf. in primum quæst. 6. artic. 1. Gab. in primum distinctio. 7. quæst. 2. art. 1. 2.

& 3. est etiam communis consensus Patrum. Nam ut omittamus eos, qui Filium Dei appellant ser- monem, aut verbum, sicut Ioannes Euangelista, ex quibus optimum sumemus deinde argum- tum: sunt aliqui, qui expressè de filio dicunt, ge- nerari à Patre per intellectum, aut ex memoria Patris procedere. Irenæus lib. 2. cap. 48. Basilus homil. in cap. 1. Ioan. August. lib. 5. de Trinitate, cap. 6. 13. & 14. & lib. de cognitione veræ vitæ cap. 14. 16. 17. & 18. Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 5. Theo- doretus lib. 2. ad Græcos, Anselm. in monologio cap. 45. 46. 47. & 48. adde testimonia aliorum Patrum, quos sequenti disputatione cap. 2. refe- remus.

Sed ex Scriptura tertio hæc sententia contra Durandum perspicuè colligitur. Nam Filius Dei dicitur Patris verbum Ioan. 1. & Ioan. 5. verbum autem non nisi dictiõne procedit dictio vero non nisi per intellectum; ergo verbi processio est in- tellectus operatio; quare modus loquendi Duran- di in hæresim Alogianorū incidere videtur. Cum enim dicat Filium Dei appropriatione quadam procedere per intellectum, non tamen reuera & actu, quo generatur, esse operationem intelle- ctus appropriatione duntaxat, debet etiam dice- re, id, quod procedit, esse verbum, non verè, sed appropriatione quadam, quod falsum esse osten- demus disputatione 142. cap. 2. quamquam Alogi- ani non solum assererant, in Deo non esse ver- bum propriè, ut disputatione 141. dicemus, sed etiam personarum Trinitatem negabant; quare in modo loquendi saltem non differt sententia Du- rand. ab illorum errore. Quomodo autem Spiritus sanctus dicatur amor, vnde colligitur etiam processionem esse voluntatis operationem, vi- debimus q. 37. art. 1. atque si semel probatum sit filij generationem esse operationem intellectus, nemo dubitabit Spiritus sancti processionem esse operationem voluntatis.

Præterea Durandi opinio ratione etiam refel- litur. Primum, quia si esset vera, non possemus rationem aliquam assignare cur potius verbum, quàm Spiritus sancti processio esset generatio, ut disp. 113. patet. Tum etiam non possemus assignare ordinem prioris, & posterioris secundum origi- nem inter personas procedentes: cur, inquam, hæc prius procedat, quam alia; neque quare Spi- ritus sanctus à filio procedat. Ad hæc, ut ait S. Thom. art. 5. cum processiones in diuinis debent esse operationes spirituales immanentes, & in na- tura intellectuali nulla alia operatio immanens possit excogitari, quam intellectus & voluntas, frustra processiones diuinas diceremus alias esse operationes. Demum non diceretur pater in filio se ipsum, ut in speculo potius videre, quam Spi- ritus sanctus, si non conueniret patri peculiariter & actus intellectus notionalis.

Ex hac doctrina rectè colligunt numerum pro- cessionum S. Thom. art. 5. Caietan. & recentiores ibidem Episcopus Canariensis disputat. in eundem articulum 2. p. illius, Henricus loco citato, Alex- and. 1. p. quæst. 47. m. 7. ratione 3. Bonauent. in 2. d. 2. quæst. 4. Scotus quæst. illa 7. & quodlibet. citato, Gabriel. in 1. d. 10. quæst. 1. & 2. Ricard. & Marf. citatis. Cum enim processio sit operatio imma- nens intellectus & voluntatis; & hæc sint tantum duæ, ut probatum est; sequitur processionem esse

tantum duas. At hæc ratio certè solum probat, esse tantum duas in specie; hoc est nullam esse, quæ non sit intellectio, aut volitio: sed quare non sint plures numero diuersæ, ita, vt quælibet persona producat aliam; cum habeat intellectum, & voluntatem communem cum alijs, videndum est infra quæst. 41. art. d.

6. *Ad primam Durand.* Iam vero ad argumenta Durandi nullo negotio respondetur; ad prius dico, intelligere & velle posse bifariam considerari, vt sequenti disputatione explicabitur. Primum absolute, & in se, hoc est sine relatione productionis ad terminum productum: deinde addita illi relatione productionis: priori modo sunt actus essentialis, & communes tribus personis; posteriori modo non sunt communes, sed notionalis dicuntur, hoc est propter aliquid, vel aliquarum personarum.

Ad posterius respondeo primum, non quamlibet naturam creatam esse fecundam proximè substantiam suam ad producendum aliam; sed solum corporalem; nam spiritualis, vt Angelus, non est ita fecunda, ob id tamen non est imperfectior. Dico autem corpoream creaturam esse hoc modo fecundam, non quia sit potens generare sine potentia accidentaria sibi addita, hoc enim in cõ-
Ad secundam Durand. tentionis apud Philosophos est; sed quia aut absolute intellectio & voluntate producit, aut saltem ipsa intellectio & volitione, vt principio proximo non producit aliam substantiam, sed intellectum & voluntatem solum comitante. Hunc ergo modum fecunditatis concedere Deo, imperfectioris esset, cum spiritualibus creaturis ob illarum perfectionem non conueniat: at super est igitur vt fecunditas illi insit ea parte perfectiori, quæ spiritualis creaturæ corporeas excedunt, intellectu nimirum & voluntate, & hæc parte Deus spiritualis creaturas superet, quia ex parte creaturæ infecunda sunt. Et quamuis in Deo voluntas, & intellectus nullo modo suparet naturam, sed sola nostra consideratione ab essentia distinguantur: nihilominus ita Deo tribuimus productionem, vt ea formaliter verè sit intellectio & volitio, licet ab essentia non distinguatur, & facultas producentis sit intellectus & voluntas, quæ nostro modo tantum ab essentia differunt. De ipsa vero potentia generandi, & spirandi copiosius differemus disputatione 164.

DISPUTATIO CXII.

Quales operationes intellectus, & voluntatis sint processionis.

Quid sentiat Henricus, cap. 1.

Opinio Scoti, & aliorum, cap. 2.

Vera sententia, cap. 3.

Respondetur argumentis Scoti, cap. 4.

CAPVT I.

Quid sentiat Henricus.

Henricus quodlib. illo 6. quæst. 1. cum fateatur procedere verbum per operationem intellectus, & spiritum per operationem voluntatis, docet non qualibet operatione, sed quadam peculiari procedere, in cuius rei explicationem notat, in nobis duplicem esse actum intellectus

& voluntatis. Nam intellectus partim est patiens, partim agens: Patiens dicitur comparatus cum simplici notitia, quæ est quasi in determinata, & confusa; agens vero respectu discursus, ad quem simplici illa notitia informatus redditur potens, vt integram & perfectam rei definitionem, & notitiam allequatur. Quando autem discursus, habet quidem cognitionem, quæ est verbum; adhuc tamen informe, quia nondum rei naturam, & definitionem plenè expreßit: Peracto vero discursu & inuenta perfecta rei definitione, est iam perfectum & plenum verbum. Quam doctrinam sumpsit ex August. 15. de Trinit. cap. 15. Deinde in voluntate distinguit ille duplicem operationem, alteram in actu, respectu cuius voluntas dicitur se habere passiuè, sed metaphorice; quia à bono ipso allecta quodammodo moueri dicitur, & hunc amorem simplicem appellat; quæ quidem operatio respondet priori operationi intellectus; alteram operationem voluntatis dicit esse amorem feruentem, quo fertur voluntas in rem amatam, & in ea quiescit, quem appellat Henricus zelum, aut incendium voluntatis; & hic amor respondet posteriori operationi intellectus.

Eadem ferè proportionem in Deo distinguit duplicem notitiam; quandam vocat essentialem, quæ respondet simplici notitiam, quam primum de rebus habemus, non quia in Deo sit imperfecta, sicut est in nobis: sed quia notitia essentialis in Deo est tantum simplex quædam manifestatio: verbum autem in Deo habet rationem manifestantis, & declarantis id, quod notitia essentialis iam manifestum est; sicut in nobis posterior illa notitia est manifestatio prioris, & idè exprimit verbum. Hac igitur posterior notitia, quæ est veluti expressio, & manifestatio prioris, inquit Henricus, in Deo produci verbum.

Eodem modo quænis amor essentialis in Deo non sit imperfectus, sicut in nobis est prior ille amor, habet tamen solum rationis simplicis amoris, & respondet priori, qui in nobis est; amor autem, quo procedit Spiritus sanctus, est veluti posterior ille noster amor feruens, & mouens in rem dilectam. Concludit demum ex his, verbum in diuinis procedere per actum intellectus notionalis, qui est dicere, non per actum essentialis, qui est intelligere, & Spiritum sanctum per amorem illum feruentem, qui est actus notionalis, non essentialis.

Hanc Henrici sententiam multis refellit Scotus locis citatis superiori disputatione; mihi autem ob has tres rationes præsertim non placet. Prima ratio, non minus intellectus noster & voluntas in priori actu exercent opera vite ab interno principio, quam in posteriori: ergo non minus in priori actu se mouent, & aliquid vi sua in se ipsis producant, quam in posteriori; hoc solum erit discrimen, quod in priori actu pro sua imperfectione imperfectior qualitas producit, in posteriori: cumque in Deo non minus perfectæ sunt operationes essentialis, quam notionalis, ex hac parte nõ repugnabit, per illas procedere personas aliquas.

Secunda ratio, non minus distincta, & perspicua est notitia Dei essentialis, quam notionalis, nec minus feruens, & tendens in rem amatam amor essentialis, quam notionalis; ergo ratio Henrici

August.

Explicit cognitio qua procedit verbum.

Amor quo procedit Spiritus sanctus.

Hæc sententia tribus rationibus impugnatur cum Scoto. Prima.

4.